DISSERTATIO CHIRURGICO-MEDICA,

SISTENS OBSERVATIONEM

DE

ANTHRACE

VERTICEM OCCUPANTE.

TYPIS A. ZWEESAARDT.

DISSERTATIO CHIRURGICO-MEDICA,

SISTENS OBSERVATIONEM DE ANTHRACE VERTICEM OCCUPANTE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI EGBERTI VINKE,

S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMIQUE SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JANUS HERMANUS COOLHAAS,

E PAGO AMERONGEN.

DIE XXII JUNII MDCCCXXXIX, HORA V.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD C. VAN DER POST, JUNIOREM.

MDCCCXXXIX.

PARENTIBUS

OPTIMIS, CARISSIMIS;

SACRUM.

PRAEFATIO.

Postquam per aliquot annorum spatium in hacce academia medicis studiis operam navare mihi contigit, dulcissimo illo vitae tempore ad finem vergente, ut honores doctorales consequerer, uti ex lege oportet, de argumento dissertationis conscribendo cogitari coepi. Quum autem varia mihi ex magna abundantia ante oculos versabantur argumenta, quorum tamen plurima, quae tractarentur alioquin dignissima, virium tenuitatem superare videbantur, tandem in dubiis versatus quamnam eligerem materiam, consilium peti a V. Cl. B. F. SUERMANN *Promotore exoptatissimo, hic mihi suasit ut historiam per-*

tractarem morbi cujusdam satis notabilis in nosocomio chirurgico hujus academiae observati, adjecta epicrisi. Quod consilium facile mihi initio videbatur, dein vero expertus sum et suis non carere difficultatibus. Quaevis enim explicatio symptomatum morbi magnis premitur dubiis. Hanc igitur ob causam, lectorem enixe rogo, ut juvenili faveat labori.

Ante vero quam ad argumentum accedo, restant animi grati officia, quibus perfungendi opportunitatem nunc mihi adesse valde laetor. Jubet enim pietas et urget animus, tibi carisssime Pater, qui una cum optima matre, me inde a tenerrima vitae periodo ad hunc usque diem innumeris beneficiis prosecutus es, gratum piumque animum publice praedicare. Tu enim totius meae vitae auxiliator certissimus, semper me monitis atque praeceptis ad illud, quod bonum honestrumque sit, exhortatus es. Neque minus semper te paratum inveni ad omnia illa mihi concedenda, quae inserviebant ad meam condendam sortem.

Quae tibi debeo nullis verbis unquam exprimi potest, sed haec omnia alta mente sunt reposita.

Id vero possum, ut nullo non die, pia ad superos mittam vota, pro tua vita, pro tua salute.

Insuper autem academiae valedicturo restant, etiam vobis praeceptoribus Cl. N. C. DE FREMERY, B. F. SUERMAN, J. J. WOLTERBEEK *et* J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, *quorum egregiis institutionibus ac consiliis frui mihi licuit, gratum obtestari animum pro variis, quae ad humanitatem pertinent, doctrinis non solum, verum etiam pro caeteris benevolentiae documentis in me collatis. Imprimis vero tibi Cl.* SUERMAN *Promotor aestumatissime hic lubens gratias ago tum pro multiplici erga me favore, tum pro auxilio et humanitate qua mihi hoc in specimine conscribendo adesse voluisti, postquam et antea suasor mihi exstiteras. Nec pauca sunt, quae tibi debeo Cl.* ALEXANDER; *pro occasione quam mihi praebuisti milites in nosocomio militari decumbentes visitandi. Quam plurima vobis omnibus me debere profiteor! Vos igitur diu in salutem academiae gloriamque patriae servet D. O. M. incolumes.*

Vos denique omnes amici, quibuscum arctissimo amicitiae vinculo durante academico curri-

culo junctus eram, quibuscum tot gaudia inter litteras et pocula degustavi Valete, mei estote memores et credite, me semper eundum animum erga vos servaturum, vestramque anicitiam magni habiturum.

OBSERVATIO.

Die 1° m. Octobris 1838 a Viro Cl. B. F. Suerman in clinicum chirurgicum hujus academiae recipiebatur mulier quaedam, eaque vidua, 36 annos nata, cui nomen erat *Henrietta Wilhelmina Zwaantje*. Erat tenui et debili constitutione, valde irritabilis; habitus externus res adversas indicabat. Amstelodami quidem nata erat, sed per varios casus Poloniam, Prussiam, aliasque Europae Boreali-Orientalis partes peragraverat, nuper e Polonia redux. Mater erat cachectica.

Inde a die 28 m. Sept. 1838 in nosocomio urbis Trajectinae versata fuerat, Anthrace in parte capillata capitis correpta, quo in loco Clar. Promotor numquam talem morbum observaverat. Indubius tamen erat anthracis casus, qui per aliquot jam hebdomades perstiterat, a muliere plane

neglectus. Initio enim nequaquam suspicabatur, vitium, quod tunc temporis nullius momenti esse videbatur, tantas postea destructiones allatarum esse.

Invenimus feminam pallidam, debilitatam, febrilem, hebescentem. Digestio erat normalis, appetitus parvus. Anthrax formam habebat rotundam, diametro trium pollicum atque ex coriaceis gangraenosis crustis consistebat sine vehementi inflammatione. Occupabat partem inferiorem ossium parietalium prope concursum suturae sagittalis cum sutura lambdoidea.

Indicatio non dubia videbatur auferendi totum anthracem propter suspicionem ejus infaustissimi effectus in cranium, quum diutius jam esset neglectus. Cultro idcirco chirurgico medium in vitium inducto, usque ad cranium anthracem in duas partes aequales divisit Vir Clar. Deinde primum sinistram partem et postea dextram partem abscidit, et ita totum cranium hoc loco denudavit. Operatio neqne magno dolore, neque longa mora absolvebatur. Paululum sanguinis effundebatur.

Statim infausta cranii conditio apparebat. Pericranio erat orbatum, color albus indicabat

necrosin sine ullo exfoliationis indicio. Aderat igitur prognosis infausta. Os denudatum linteo carpto, unguento simplici illito, tegebatur. Aegrae parca vini rubri quantitas concedebatur, una cum dieta instaurante. Praescribebatur formula sequens:

℞ Cort. peruv. fusc. u. j.
Coq. in aq. q. s. ad col. u. viij.
Adde.
Spir. arom. dr. iij.
Sacch. alb. u. ß.
M. D. S.
Omni hora cochlear.

Die 2° m. Oct. conditio ejus haud pejor erat, animus magis placidus et hilaris. Appetitus uti antea, modicus alvi fluxus, nox quieta. Vulneris margines ichorem secernebant, conditio cranii eadem. Eodem modo deligatio renovatur eodemque in regimine continuatur, tum et in decocti praescripti usu.

Die 3° et 4° Oct. nulla mutatio conditionis aegrotantis. Vespere propensio ad diarrhoeam incipere videbatur et febris exacerbata fuerat. Decoctum iterabatur. Vulnus eodem modo deligabatur.

1*

Die 5° m. Oct. affectio abdominalis increverat, unde et aucta debilitas; appetitus diminutus est. Vulnus quidem bene sese habebat sed laxum erat; margine satis magnam tenuioris puris quantitatem secernente. Ob diarrhoeam interea subortam ac debilitatem, ergo ex indicatione vitali et symptomatica, ei praescribebatur remedium sequens.

℞ Dec. c. peruv. f. u. viij.
Spir. arom. dr. iij.
P. gum. arab. dr. vj.
Syr. pap. alb. u. ß.
M. D. S.
Omni hora cochlear.

Die 6° et 7° m. Octobris, omnia in eodem statu observabantur, exacerbationes autem vespertinae vehementiores erant. Vires diminuebantur, vulnus siccius erat. Medicamenta difficulter propinabantur; namque animo despondebat aegra et praeterea valde erat irritabilis. Persistebat haec conditio usque ad 12um ejusdem mensis diem, diarrhoea tamen sensim refrenata et vulnere majorem puris quantitatem secernente. Decoctum Per., admixtis involventibus, bis interim iterabatur.

Quoad vulnus, die 10° Oct. singulare prorsus symptoma in eo observabatur: scilicet pulsatio duobus locis in sutura sagittali erat, quae semper liquorem subpurulentum e partibus profundius sitis in altum videbatur elevare. Haec autem pulsatio non sequela erat pulsationis cerebralis, verum, quantum suspicari licuit, pendebat a vasis diploës valde irritatis. Quibusdam in locis apparebant futurae exfoliationis vestigia.

Die 12° m. Oct. Diarrhoea plane superata erat, quapropter medicamenta obvolventia decocto addita omitti poterant. Idcirco praescribebatur.

℞ Cort. peruv. f. u. j.
Coq. ad col. u. viij.
Add.
Spir. arom. dr. iij.
Syr. cort. aur. dr. vj.
M. D. S.
Omni hora cochlear.

Reliqua symptomata praesertim pulsatio suturarum et exfoliatio augebantur. Diebus 13° et 14° m. Oct. alvo per duos jam dies nondum soluta, praescriptae sunt pilulae ex rheo cum

sapone, quarum bis de die 5 assumuntur; quippe aegrota maxime a clysmate abhorrebat.

Inde a die 15° usque ad 18° m. Oct. non solum exfoliatio augebatur, (ad quam perficiendam natura activa ubique carunculae carnosae ut pullularent curabat, tenuissima folia sive lamellas osseas extollentes,) sed etiam vulnus in dies majus evadebat. Per totam circumferentiam, cutis, una cum galea aponeurotica observabatur in gangraenam abire et demoriebatur marginibus edentatis, quod etiam accidit in pericranio, unde os necrosi affectum apparebat. Pus quidem generosius secernebatur, attamen non ab omni parte bonum; tanta praeterea quantitate, ut aegra non solum valde debilitaretur, verum etiam magis magisque in hecticam incideret conditionem, cum vehementiori febre vespertina. Idcirco ei d. 19 Oct. una cum decocto corroborante, Phellandrium aquaticum praescribebatur, tali ratione.

℞ P. Sem. phell. aq. dr. j.
Sacch. alb. dr. iß.
M. F. pulv. n° xij.
S. Omni trihorio pulvis.

His medicaminibus reliquum mensem Octobris

transegimus, quin tamen mangopere procederet vulneris sanatio, vel emendaretur totius organismi reactio. Alvus regularis erat, etiam sine pilularum usu. Appetitus parcus, sed aegra saepius peccavit nutrimenta dyspepta adhibendo, a matre, filiae male prospiciente, clanculum allata, etiamsi diligenti cura quantumpote hic abusus evitaretur.

Durante hac periodo, novum symptoma notatu dignum observavimus. Scilicet jam per aliquod tempus parvnm tumorem nodosum in occipite prope nucham secum tulerat, qui speciem glandulae referebat sympathice inflammatae et induratae. Hicce tumor formam anthracis assumere incipiebat. Similis quoque tumor inveniebatur in axilla dextra, celeriter increscens et verum constituens anthracem, minorem tamen, quam descriptum antea, in ossibus parietalibus obvium. Cataplasma leniter stimulans mali maturationi favebat, et sub fine m. Octobris V. Cl. peripheriam gangraenosam auferebat valde crassam, quo factum est, ut anthrax in superficiale ulcus potius mutaretur, quod unguento Elemi illinitum satis benignum pus secernebat.

Durante mense Octobri doloribus aegra cruciari perrexit, increscente etiam debilitate. Continuo decoctum corroborans assumebatur, et pulveres, crasin humorum alterantes, qua medicatione vitalitatis decrementum retardari quidem, non vero averti poterat. Accedebat continua aegrotantis reluctatio ad medicamentorum assumptionem.

Die 8° m. Nov. magna satis ossis pars separabatur, quae facillime sane auferebatur. Difficile autem erat pus retinere, quod semper intra integumenta communia, ab osse recedentia, locum infimum occupare tentabat. Necrosis quoque ambitu increverat, attamen externa tabula pro maxima parte erat affecta, non vero eodem gradu diploë.

Die 25° m. Nov. querebatur aegra de cephalalgia. Ad hunc usque diem vulneris quidem deligatio dolorifica fuerat, quod feminae inprimis tribuebatur sensilitati; nondum vero cephalalgia erat correpta. Congestio cerebralis nunc haud erat incerta. Carotides fortiter pulsabant, tunica conjunctiva sanguine injecta erat. Sitis aderat una cum febre continuo-remittente; lingua sicca et obsita, appetitus deletus, gastricismus; urina

cruda, parca. Eratne haec conditio sequela encephalitidis, vel saltem irritationis cerebralis per consensum vasorum diploës? an vero irritatio latebat gastrica, sympathice vim suam in cerebrum excercens? Errores in diaeta hanc facile afferre potuerant, eo magis, quum non bene procederet digestio. Difficilis autem erat responsio. Antiphlogistica universalia et topica praescribebantur, nec minus revulsiones in tractum intestinalem. Eodem jam tempore Vir. Cl. partem integumentorum incrassatam, liberum exitum materiae purulentae impedientem descidit; unde haemorrhagia arteriosa et parenchymatosa oborta fuit, ad complures uncias aestimata. Hinc levamen notabile aegrae contigit.

Praescriptum est, in hac rerum conditione sequens mixtura:

℞ Acid. tart. dr. ß.
Syr. rub. id. u. j.
Sacch. alb. u. ß.
Dec. hord. dil. u. x.
M. D. S.
Omni hora vasculum.

Clysmata diluentia praescribebantur, largas alvi

dejectiones afferentia, praeterea sinapismi rubefacientes pedibus apponebantur.

In hac medicatione per aliquot dies continuatum est. Sequenti insuper et tertio die sanguisugae capitis temporibus oppositae sunt. Virium status venae sectionem non sinebat. Diaeta accurate observabatur et vegetabile tantum nutrimentum offerebatur. Quo factum est, ut, symptomatibus sensim minutis, inde a 26 m. Nov. ab hac complicatione libera videretur, remanente tamen debilitate adaucta. Anthrax sub axillis sanari incipiebat; interea vero ad occiput formatus jam erat. Hunc naturae conaminibus imperfectis diutius relinquere nolens Vir. Cl., ejus sanationem stimulantibus cataplasmatibus promovere tentavit.

Mensis Novembris non multa notatu digna praebuit. Quamvis hectica conditio ab una parte impediret, quominus corroborantia adhiberentur, accedente metu iterationis symptomatum encephalitidis; tamen ab altera parte, increscente debilitate, magna erat et evidens necessitas virium instaurandarum, ut exfoliatio et integratio cranii perficeretur. Nutrimentum idcirco lautius praescribebatur et quotidie mane vinum rubrum

in decocto panis tosti ei concedebatur: nec non tenue decoctum Cort. Peruv. cum parva quantitate aetheris sulphurici alcoholici. Post meridiem quies ei commendabatur, neque quidquam, nisi emulsio amygdalina offerebatur. Regularis erat igitur decursus exacerbationum vespertinarum, quae in sudorem nocturnum tandem desinebant.

Puris secretio in ambitu vulneris non valde larga erat; margo dentatus erat, minus gangraenosus, exfoliabantur plurima ossis frustula tenuia quae statim excipiebant carunculae carneae excrescentes. Hic naturae processus evidenter sustinebatur, bis de die adducto linteo carpto sicco, quod pus absorbebat et exfoliationi favebat. Anthrax nucham occupans parvus manebat, nullius momenti nec mobilis. Aegra lectum non amplius relinquebat. Valde erat ingrata omnibus adstantibus propter continuas querelas. Attamen spes sanationis ei interea supererat.

Die 16° m. Decembris denuo apparebant alvi laxioris initia, ad quam maxime proclivis erat. Initio hoc symptoma sistebatur additione gummi arabici et syrupi parav. alb. decocto Peruviano, sed, diarrhoea tamen redeunte, die 21 Decemb.

necessaria fuit additio Pulveris radicis saleb cum parva quantitate aquae Cinnamomi, donec 26 Dec. Corticem Peruvianum prorsus omittendum judicaret Vir. Cl. Hoc ergo medicamen mutavit cum cortice Cascarillae, parva quantitate, additis gummi arabico et syr. pap. alb. ante meridiem ei oblatis. Hora Vespertina utebatur solutione, nunc rad. saleb, nunc rad. sagittariae loco emulsionis amygdalinae, quam ulterius repudiabat. Diaeta medicationi adaptabatur.

Hoc modo trium mensium spatium absolutum fuit. Conditio aegrae jam ab initio infausta erat, non vero valde complicata. Necrosis cranii et singularis propensio ad diarrhoeam initium fuerant deterioris conditionis. Tandem, incipiente m. Januario, ad quartum, eumque ultimum notatu dignissimum mensem progrediebamur, quo symptomata singularia, a morbo primitivo non derivanda, observare contigit. Initio hujus mensis parvam quantitatem cort. Peruv. colaturae Cascarillae cum syr. pap. alb. addiderat Vir. Cl. Debilitas et defectus virium, supra jam dicto processu in cranio allatus, indicantia fuerant. Phellandrium jam dudum omittere coactus fuerat;

quum illud assumere plane non posset, ne pilularum quidem forma. Insuper Viro Clarissimo videbatur Cascarilla nimis stimulare mucosam intestinalem, unde jam d. 4. m. Jan. in ejus usu desierat, substituto tenui decocto Peruviano cum additione p. rad. saleb et syr. pap. alb. Necrosis cranii tarda exfoliatione procedebat. Parvus ad nucham anthrax ulterius evolvebatur, in quo sub crusta gangraenosa pus colligebatur. Solita ratione operatio instituta, cavitate unguente Picis impleta, vulnusque tectum est parvo cataplasmate vino rubro humectato.

Sic varia fortuna procedebatur, cum continua propensione ad diarrhoeam, sicca lingua et irritatione mucosae intestinalis, ita ut 14 m. Oct. Corticem Per. omittere Vir. Cl. cogeretur, neque aegra quidquam uteretur, nisi decocto albo Sydenhami, vicissim cum solutione saleb, blandaque diaeta. Caput et abdomen morbi sedes erant, pectore ab eo immuni manente. Interea magnopere debilitata erat. Sic res sese habebant usque ad 17 Jan.

Die 18 a Viro Cl. mane visitatae conditio infaustissima videbatur. Abdomen dolorificum et tensum. Assumebat solutionem saleb. Conditio

autem adeo in pejus, ruebat, ut jam paucis horis post indubia essent symptomata incipientis enteritidis, talis autem, qualis in individuis valde debilitatis accidere solet.

Abdomen vehementer et meteoristice inflatum erat, multi quoque, sed vani aderant tenesmi ad alvum, lingua rubra, sicca; sitis; pulsus depressus; frigida membra; parca urina. Abdomen maxime dolebat in regione umbilicali, et ne minimam quidem pressionem sustinere valebat. Hac dolorifica in regione apponi curavit Vir. Clar. 16 hirudines, qui multum sanguinis detrahebant; eo effectu, ut vespertina hora insigne levamen oriretur. Interne dabatur emulsio amygdalina cum saccharo. Symptomata duobus insequentibus diebus faustiora quodammodo evadebant, dolores disparebant, item meteorismus. Viro Cl. investigante originem hujus Enteritidis, magnae errores in diaeta iterum detegebantur. Mater enim, non obstante cura diligenti, difficillimae digestionis cibos attulerat; non vero licuit, an unica haec esset causa symptomatum. Emulsio continuabatur addita uncia una aquae naphae propter auctam nervorum sensibilitatem.

Die 21 et 22 Jan. in eodem statu, sed quodammodo meliore versabatur.

Die 23 mane jam Vir. Clar. advocabatur. Versabatur in statu vere apoplectico, oculi rubro colore injecti, caput tumidum, somnus stertorosus, respiratio oppressa, pulsus velox, extremitates fere paralyticae, virium conditio plane exhausta, 6 hirudines capiti apponebantur. Vesicatoria suris et sinapismi pedibus. Nec aliquid assumere neque deligatio renovari poterat. Mater denuo indigestibilia attulerat et dederat. Quapropter ei aditus interdicebatur. Abdomen iterum dolebat.

Die 24 m. Jan. Eadem ejus conditio: videbatur moriens, tamen 4 hirudines denuo capiti apponebantur; quo facto, postridie reviviscere coepit: surrexit e lecto vulnusque deligari potuit. Revera melior apparebat; sed tamen absque spe 27 m. Jan. insultus adfuit epilepticus. Vulnus non valde malam conditionem referebat. Matri aditus rursus concedebatur, sed praesente custode. Semi delirans, semi soporosa languescere pergebat, donec nocte ultimi Januarii statu apoplectico moreretur in spem melioris vitae.

SECTIO CADAVERIS.

Multa variaque symptomata, quorum durante morbo nobis observandorum occasio data fuit, nostram exspectationem valde excitaverant, ad illa, quae in cadavere dissecto essent reperienda. Haecce sectio tamen inexspectatas desorganisationes nos docuit. Antequam vero ad ipsam describendam transeam, breviter enarrare mihi proposui, qualis esset conditio vulneris in capite statim post aegrae mortem.

Superficies externa cranii referebat superficiem, necrosi affectam, ab omni parte nudam, dum integumenta communia, partim scalpello, partim gangraena vel sphacelo, jam dudum deperdita erant. Formam ostendebat pars denudata quadranguli irregularis cum marginibus inaequaliter incisis, vel potius dentatis. Maxima ossis pars

jam externâ lamellâ diploës erat orbata, dum hic suppuratio et granulatio essent subortae. Ab una tamen anteriori ossis parte adhuc supermanebat lamella externa, cujus latitudo erat 4 et longitudo 2 vel 3 centimetrorum, dum tota pars cranii denudata longitudinem 12 et latitudinem 8 vel 10 centimetrorum haberet. Juxta partem superstitem lamellae superioris reperiebatur pars cranii, nigro colore tincta, pro parte dissoluta, remanentiam ejusdem lamellae constituens.

Quod attinet ad encephali conditionem, aperto cranio, apparuit, duram meningem huic firmiter adhaerere, praesertim parti sinistrae posteriori, quo loco superficies cranii interna digitis sentientibus aspera videbatur. Arachnoïdea ibi loci valde erat incrassata et non amplius diaphana, quin etiam exsudatione floccosa filiformi obsita. Ipsius cerebri consistentia normalis, non praeter solitam rationem sanguine repleta. Memorabile autem est, in lobulo superiori posteriori cerebri, immediate sub ejus superficie, inventum esse satis notabile tuberculum, triangulare, sive potius trilobulare, cujus diameter longitudinalis erat 3 centrimetrorum, latitudinalis 2 centimetrorum. Vera

cystide ab ipsius cerebri substantia separatum tenebatur; color tuberculi paululum profundior erat, quam substantiae griseae cerebri, consistentia aliquantulum erat tenacior. Vasorum vestigia manifesta in eo reperiri non potuerunt.

Reliquam cadaveris dissectionem ita institui, ut primo aperirem thoracis cavitatem, et quidem tali ratione ut integra manerent omnia abdominis integumenta. Aperto thorace scalpellum intra lamellam costalem et pulmonalem pleurae sinistrae introducens, eam repletam inveni unciis quatuor seri-albuminoso-sanguinolenti; pariter in pleura dextra uncia una seri ejusdem qualitatis fuit effusa. Pulmonis sinistri peripheria mira ratione striis albis erat obsita, quae tales inter se ramificationes inibant, ut primo momento eas tamquam vasa lymphatica salutares, sed ulteriori investigatione ope injectionis artificialis certior factus sum, nihil aliud esse, nisi vasa sanguifera, quorum parietes ita incrassati erant, ut lumen vix tubo tenuissimo pateret. Forsan antea adfuerat inflammatio pleurae pulmonalis; caeterum parenchyma utriusque pulmonis nullo modo a sanitatis norma recessisse videbatur.

Deinde, pericardio et corde dissectis, in priori non memorabilem seri quantitatem deteximus, alterum sanum erat, si fortasse excipias duos polypos in utroque ventriculo inventos.

Quum sic contenta thoracis essent investigata, transivi ad abdomen dissecandum, quo aperto, statim conspectui sese obtulit ascaris lumbricoides mortuus, locum occupans inter ventriculum et hepar, unde statim conclusi, intestinum uno alterove loco fuisse perforatum, quam conclusionem adhuc confirmari credidi, quia simul inveni in abdominis cavo effusionem seri flavi, foecalem odorem spargentis, ad quantitatem unciarum 64, quod serum, in vase collectum, paulo post sedimentum deposuit, multum conveniens cum alvo liquida minus profunde colorata; attamen nulla ciborum vestigia in illo inveni, nisi quosdam flocculos, forsan derivandos a fibris radicis Schorzonerae, paulo ante mortem assumptae.

Omentum et peritonaeum aliquantulum sanguine oppleta inveni. Tamen nimis temere ex hoc symptomate ad peritonitidem et epiploïtidem concluderes; nam rubedo partium, post mortem reperta, saepe nihil aliud indicat, nisi con-

gestionem, et insuper res nota est, post mortem partem colorantem facile a caeteris sanguinem constituentibus partibus separari. Rubedo haecce facile abluendo evanescebat.

Peripherica hepatis pars lobi sinistri emollita videbatur, nam duobus vel tribus locis non glabrum illum adspectum, quem solet, referebat, et simul facile sub digitis friabilis erat.

Vesicula fellea normalis erat, felle spissiore repleta, cujus exitus, quamquam non impeditus, tamen non facile perfici videbatur.

Lien sanus erat, forsan paulo major, quam vulgo solet.

Glandulas mesaraïcas coloris grisei ubique induratas, incrassatasque reperi.

Deinceps mihi tractum intestinalem prudenter perscrutanti, pharynx, oesophagus et ventriculus sani apparuerunt; sed duodenum duobus locis, satis magnis perforatum erat; et quidem ejus paries postica, quae columnam vertebralem respicit, ita erat arrosa et perforata, ut ibi quidem nulla genuinae inflammationis indicia adessent, sed margines perforationis adspectum nodosum incrassatum, verum carcinomatosum referrent, si-

mulque glandulae mesentericae, hanc ulcerationem proxime adsidentes, valde erant induratae et incrassatae. Praeter hanc memorabilem perforationem nullas alias anomalias in tractu intestinali inveni, nisi membranam mucosam duobus locis in intestino jejuno ulceratam. Faeces, quae in intestino recto continebantur, ejusdem coloris erant ac serum, ex abdominis cavo collectum.

Pancreas sanum videbatur. Ad latus sinistrum renis sinistri singularem detexi excrescentiam, consistentiae fibroso-cartilagineae; descissi renis structura intacta apparuit, et hocce corpus magis cohaerere videbatur cum parte renis corticali, quam quidem ex ejus parte medullari provenire. Caeterum systema uropoieticum et genitale nulla labe affecta mihi apparuit.

Sic etiam nervus sympathicus et medulla spinalis una cum ejus involucris conditionem prorsus sanam indicabant.

EPICRISIS.

Enumeratis illis, quae durante vita acciderunt, nec non quae post mortem reperta sunt, haud ineptum mihi visum est, ut in formam epicriseos quaedam redigerem, quae mihi in casu exposito maxime memorabilia occurrebant; et ut, quantumpote, morbi explicarem aetiologiam, symptomatologiam, complicationes et curandi rationem.

§ 1.

De sede vitii nostri.

Sedes in casu memorato ab anthrace occupata, attentione haud indigna videtur; valde enim singulare est, anthraces capitis partem capillatam afficere, quod a Viro Clarissimo Suerman numquam antea, uti in observatione jam memoravi, observatum fuit. Sic etiam inter auctores, qui

de hoc vitio scripserunt, negat doct. von Walther (1) unquam tale quid, in palma manus, planta pedis, neque in parte capitis capillata observatum fuisse, qua in re tamen consentientem non habet Rustium, monentem, nulla corporis loca ab hoc malo excludi (2).

In nostra aegrotante ambo alii anthraces loca magis solita occupaverunt, altero obsidente nucham, partem posteriorem regionis subaxillaris altero, ubi in febre pestilentiali anthraces, sed longe maligniores saepe observari solent. Loca, quae vulgo anthracibus sedem praebent, sunt, uti affirmant Chelius (3), von Walther (4), Rust (5) aliique in arte chirurgica praeclari viri, inter scapulas, ad nucham, dorsum, clunes, extremitates; etiam anthraces observati sunt in oculis, ubi tamen plerumque conjunctivam et scleroticam occupant, rarius corneam afficere so-

---

(1) Handwörterbuch der gesammten Chirurgie und Augenheilkunde, von Walther, Jaeger und Radius. II B. pag. 217.

(2) Handbuch der Chirurgie. III B. p. 680.

(3) Leerboek der Heelkunde van M. J. Chelius, vertaald door Pool. Ie. D. 1e. St. p. 104.

(4) l. c.

(5) Rust, Handb. der Chir. III B. pag. 642.

lent, nonnumquam ipsas obsident palpebras. Si in collo observantur, prouti aliquando fit, magnas in hoc casu adferre solent molestias, tracheam premendo, unde respiratio valde laedi sponte patet. Ad maxillam inferiorem nuper anthracem insignem se observasse mecum humaniter communicavit Cl. Promotor. Sese extendebat ab una parte a mento ad labium inferius, ab altera ad laryngem usque.

Conveniunt in genere auctores, declarantes, hocce malum fere semper ad corporis partem posteriorem et ad extremitates erumpere. Quare hoc ita fiat, non facile explicari posse mihi videtur. Observaverunt arte periti, omnia ulcera atonica, quibuscum aliqua ratione anthraces comparare possumus, potius corporis partem posteriorem et extremitates seligere, quaerunt causam in energia dificiente et reactione minore in hisce corporis regionibus.

§ 2.

De causis.

Nobis cogitantibus de causis hujus affectionis,

haud a mente alienum visum est, anthracem nihil aliud esse, quam reflexum conditionis morbosae internae. Ad hanc enim praedisponunt omnia illa, quae sanguificationem et humorum crasin corrumpere valent; uti enumerantur: paupertas, cohabitatio multorum hominum in locis depressis, humidisque, imprimis immundities, assumptio ciborum vel potuum corruptivorum; abusus potuum spirituosorum, qui systema venae portarum morbose afficiendo, sanguificationem alterat; exercitationes corporis immodicae, uti cursus continuatus durante valido calore aestivo, sive tempore calido-humido. Huc etiam animi pathemata deprimentia pertinent, nam integritas vis nerveae omnino postulari constat, ad bonam instituendam sanguinis mixtionem. His denique accedunt scrophulosis, arthritis, syphilis, abusus mercurialium et haemorrhoides suppressae aut alia ratione organismum afficientes.

Si dyscrasiae, talibus causis ortae, levis occasio accedat, facile anthracem erumpere intelligitur. Talem occasionem praebent et saburra primarum viarum rancida, vel alia ratione peccans, et perspiratio cutanea, uno momento sup-

pressa. Chelius etiam putat, anthraces saepe esse considerandos, tamquam effectus metastaseos alicujus dyscrasiae (1).

Reputatis illis, quae cum nostra aegra ante anthracis evolutionem acciderunt, statim apparet, causas in promptu esse, quae ansam praebuerunt ad ejus conditionem infelicem constituendam. In observatione legimus, ejus matrem esse vetulam constitutionis cachecticae; haereditas idcirco inter causas praedisponentes ejus conditionis cachecticae dyscrasicae enumerari debet.

Vitae conditio, quam degere coacta erat, etiam minus fausta fuit; nam semper, per totam fere vitam, oppressa fuit dirissima paupertate, ideoque etiam hujus sequelis, quae inprimis sunt victus minus idoneus et vestimentorum immunditíes, unde cutis cultura prorsus fuerit neglecta. Porro per longum tempus vagata est per maximam Europae partem orientali borealem, imprimis per Poloniam, ubi iterum dispositionem acquisivit ex cutis illa neglecta cultura et immunditie, uti intelligi potest ex morbis cutaneis, ibi fere ende-

(1) Chelius, l. c. p. 105.

micis. Hisce subinde accessit animus variis sollicitudinibus et curis ad victum necessarium quaerendum omnino depressus; quibus omnibus causis concurrentibus crasis humorum ita corrupta et mutata evasit, ut in duodeno, uti ex ipsa cadaveris sectione patuit, scirrhus excrescere, qui ipse effectus dyscrasiae, rursus novam exhibuit causam ad humores ulterius degenerandos, et ad dyscrasiam maligniorem producendam, quae infaustissima conditio, accedentibus erroribus in diaeta, quibus indulgendis patiens nostra, uti ex ulteriori observatione docuimus, valde erat propensa, anthracibus passim gignendis se aperuit.

Forsan aliquis admoveat, nos nullo jure supposuisse praeexistentiam scirrhi duodeni, ante ortum anthracis in capite siti, sed rem nobis ita probabilem videri, propter sequentes causas opinamur. Scirrhi enim, uti convenit inter auctores, per longum temporis spatium latentes manere possunt, nullis distincte pronunciatis symptomatibus sese declarantes, donec scirrhus in carcinoma abire incipiat. Ex affectionibus abdominalibus, quae per totum morbi decursum, uti etiam ante anthracis eruptionem, exstiterant, concludere

audemus, scirrhum jam tunc tractum intestinalem praedisposuisse ad hanc morbosam suscipiendam conditionem, quia nullae aliae explicationes de ortu hujus status irritati inveniri poterant. Insuper non probabile est, scirrhum, si post anthracis evolutionem natus fuisset, tam celeriter increvisse, ut tam brevi tempore in carcinoma apertum transiret, quale carcinoma apertum revera tempore mortis ita fuit evolutum, ut totum intestinum ibi perforatum inveniretur. Opinio, quam emittere conatus sum, anthracem esse reflexum conditionis morbosae internae, eo magis confirmari videtur, quia non unicus, solitarius adfuerit anthrax, sed tres ita sibi successissent, ut, altero aperto et in suppurationem abeunte, alter tantum appareret et evolveretur.

Causa proxima anthracis secundum opinionem virorum clarr. von Walther (1), Boyer (2), Marjolin (3) sita est in inflammatione gangraenescente telae cellulosae subcutaneae et glandularum

(1) Von Walther, l. c. pag. 218.

(2) Boyer, Traité des maladies chirurgicales et des opérations qui leur conviennent. Tom. II. p. 54.

(3) Marjolin, Cours de Pathologie Chirurgicale passim.

sebacearum, quae ulteriores, uti confirmant Richter (1), Rust (2) et Betschler (3), maximas agerent partes. Gendrin (4) rem sequenti ratione explicat, dicendo: «Les anthrax et les furoncles constituent les inflammations inter-aréolaires du derme. Nous désignons ainsi ces phlegmasies, parce qu'elles ont leur siége dans le tissu cellulaire et les vaisseaux vasculaires qui remplissent les aréoles de la peau, elles s'étendent ensuite souvent jusqu'au tissu cellulare sous-cutané. Cette phlegmasie produit un véritable corps pseudo-membraneux, qui constitue le bourbillon.» et «Il se forme dans les anthrax une multitude de bourbillons non seulement dans les aréoles du derme, mais aussi dans le tissu cellulaire sous-cutané.»

---

(1) A. G. Richter, Anfangsgründe der Wundarzneykunde. B. I. pag. 132.

(2) Rust, l. c. p. 677.

(3) Handwörterbuch der gesammten Chirurgie und Augenheilkunde, von Walther, Jaeger und Radius. B. II. p. 218.

(4) Histoire anatomique des inflammations. Tom. I. p. 447, 448, 449.

§ 3.

De symptomatibus et decursu.

Si attendimus ad symptomata et decursum singulorum anthracum, in observatione memoratorum, statim apparet, unumquemque non prorsus eandem secutum fuisse normam. Sine dubio anthrax maximi momenti erat ille, qui caput occupabat, maxime autem impediebamur, quo minus hunc per omnia sua stadia observaremus, nam eo tempore, quo nostra aegra artis auxilium quaerere coepit, eum jam per aliquod tempus secum tulerat, et inflammatio in gangraenam jam transierat. Cutis, vitium tegens, sphacelo correpta erat, referens colorem nigrum, nec non tenacitatem et adspectum coreaceum. Apertâ hac escharâ certiores facti sumus, gangraenam jam ad omnia latera suas extendisse destructiones; quum cutis, tela cellularis, galea aponeurotica et pericranium, in unam massam homogeneam, gangraenosam omnia jam essent mutata. Malum enim ea ratione proserpsit, ut inflammatio gangraenescens, quae secundum auctores, quos supra enumeravimus, in corii glandulis sebaceis inci-

pere solet, sese primo telae cellulosae subjacenti, tunc galeae aponeuroticae et tandem pericranio communicaret, sub quo morbose affecto ichor effundebatur, quo ab osse cranii separabatur, qui ichor, propter crustam coreaceam tenacissimam, ab omni exitu exclusus, cranium premendo et morbose irritando carie et necrosi affecit. Aperto anthrace multum ichoris tenuissimi, odorem peculiarem spargentis, effluxit, craniumque denudatum oculis apparuit pluribus locis carie et necrosi valde corrosum, ita quidem ut variis punctis destructa superficie cranii, ipsa diploë a solito tegmine orbata esset, uti intelligi potuit ex pulsatione, quam ad suturam sagittalem observavimus, orta ex vasculorum minimorum diploës, valde irritatorum, pulsationibus. Errares enim credendo, hoc symptoma sequelam esse pulsationis ipsius cerebri, quae nulla ratione percipi possit, nisi pus vel serum supra duram meningem effusum, et internam cranii tabulam simul affectam contendas, quod tamen non probabile videtur, quia tunc nempe sexto die post operationem quum hoc symptoma observabatur, nulla aderant indicia pressionis cerebri, uti sopor, convulsiones

et pupillae dilatatae, neque etiam tuto credendum est, tabulam internam jam fuisse arrosam, quippe quam post mortem parum affectam invenimus.

Quae cum ita esset conditio cranii post operationem, nisus ab operosa natura institutus inserviebat, ad partem cranii a pericranio orbati emortuam removendam, qualem processum fieri explicat Hildebrand (1), hisce verbis: «Nachdem ein Knochen von seiner Knochenhaut entblöszt worden ist, stirbt die oberste dünne Lage des Knochens häufig ab. Es bildet sich zwischen ihr und der tiefer gelegenen lebendig gebliebenen Lage des Knochens eine rothe, an Blutgefäszen reiche Haut, und die abgestorbene äuszerste Lage wird in der Gestalt eines Knochenblatts losgestoszen (Exfoliation des Knochens).»

Hujus exfoliationis processus in nostro casu lente perficiebatur, ulceratio per totum morbi spatium in eodem fere statu permansit, odorem omnino ingratum spargere perrexit. Granulatio coloris minus laeti lente procedens indicabat ulceris con-

---

(1) Anatomie des Menschen. Tom. I. p. 353.

ditionem valde asthenicam, margines laxae dehiscebant et, ichore collecto, inferiora versus depressae in dies magis magisque recedebant, unde pars cranii semper major denudabatur. Ossis exfoliatio jam quidem inceperat, sed lento tramite procedebat; una tantum satis notabilis cranii pars granulationis ope exfoliabatur, sed majorem cranii partem necrosi affectam expellere, natura prostrata recusabat, cujus intentiones praeterea turbari vidimus erroribus in diaeta et variis conditionibus insuper accedentibus, de quibus infra monendum erit. Quanta ulcerationis dyscrasica fuerit conditio, inde quoque efficere licet, quod paucis diebus ante mortem cranium uno loco nigrescebat, et sic humorum dissolutionem indicabat.

Reliqui duo anthraces, quorum unus ad nucham, alter sub axillis sedem elegerat, medio mense Octobris evolvebantur, initio nihil referentes, nisi tumorem rotundum, mobilem, simulantes glandulas lymphaticas induratas, sed sensim sensimque characterem anthracicum assumentes, colorem violaceum profunde coloratum usurpantes, accedentibus doloribus fere intolerabilibus. De-

nique crustis nigrescentibus tecti sunt, quibus descissis apertisque, ichor sub his collectus effluxit, cujus naturam in bonum laudabile pus, adhibitis topicis stimulantibus, mutari curavimus. Decursus anthracis sub axillis celerior fuit, quam ad nucham, nam ille mense Decembris jam sanatus erat, quo tempore hic modo evolvi coeperat, qui, valde tarde decurrens, tempore mortis ichorem adhuc fundebat et adspectum ingratum gangraenosum exhibebat.

Talia in casu a nobis observato fuerunt anthracum symptomata et decursus. A variis auctoribus uti Rust (1), von Walther (2), aliisque sequenti ratione eorum symptomata et decursus describi solent. Distinguunt inter symptomata topica, sive localia et inter symptomata universalia: quoad symptomata localia, vitium incipit tumore parvo coniformi, furunculo communi haud dissimili, qui tumor cite, in extensionem, duritiem, ruborem et dolorem increscit. Partes proxime adjacentes tenduntur, urent et vehementer dolere incipiunt. Prouti in erythe-

---

(1) L. c. (2) L. c.

matis inflammatione gangraenescente telae cellulosae, sic etiam hic morbus sub doloribus fere intolerabilibus, qui vulgo comparantur cum sensu carbonis ardentis, cuti impositi, proserpit e situ profundiore ad cutis superficiem, dum eodem tempore partes inferius sitas attingat, ubi telam cellulosam destruit et serius vasa et musculos denudat. Quocunque autem modo tumor variis rationibus, saepe ad valde magnam peripheriam, extendatur, tamen semper asservare solet suam formam rotundam, et tactu urens et durus apparet. Color, totam seriem colorum percurrens, initio est ruberrimus, tunc violaceus, postea profunde coeruleus, deinde cinereus et tandem prorsus niger, atque, propter cutim valde tensam, certum ostendit splendorem; citius seriusve in apice tumoris inopinatim nascuntur phlyctaenae variae magnitudinis. Hae tamen non ex sola epidermidis a corio separatione oriuntur, nam, ruptis apertisve hisce phlyctaenis, corium simul metamorphosi gangraenescente affectum invenitur, propter malum, ab interioribus ad exteriora proserpens, et non, uti in pustula maligna fieri solet, ab exterioribus ad interiora. Hinc proveniunt forami-

nula, e quibus, cribrae ad instar, ichor foetidus, sanguine nigro et flocculis gangraenescentibus intermixtis emanat. Haud raro et inprimis in casibus valde malignis erumpit peculiare quoddam exanthema in tumoris viciniis. Remotis partibus gangraenescentibus supermanet ulcus, quod saepe, recta instituta curatione, citius seriusve bonum sibi comparat adspectum.

Licet carbunculus simplex in gangraenam humidam facile abeat, saepe tamen ante creationem aperturarum visibilium in cute locum obtinet escharae cujusdam formatio in apice tumoris, quae tunc comparari solet cum mummificatione in gangraena sicca, post cujus remotionem, vel artificialem vel spontaneam, tela cellulosa una cum ichore effluit vel fasciis tegentibus adhaeret. In fundo ulceris profundioris superstitis haud raro tendines, musculi et vasa majora conspectui nuda apparent.

Quod ad symptomata universalia attinet, solummodo quando anthrax minoris sit momenti, furunculo magis similis, ambitu minori et non organo nobiliori proxime assideat, minores edit effectus in toto organismo; vehementiores semper

comitantur, motu febrili magis minusve notabili, qui una cum affectione locali increscit et iterum decrescit. Haec febris invadit cum magna aegri anxietate, faciei pallore, saepe cum lypothymiis, vomitu, collapsu universali, urina pallida, tenui, cruda, pulsu tremulo, debili et tandem characterem sibi comparat nervoso-putridum. Fere semper signa gastricismi adsunt. Anthracis duratio et decursus nulla certa ratione definiri possunt; multum hac in re efficiunt ejus causae et cura magis minusve rationalis instituta. Veruntamen semper decursum tardiorem sequi solent.

Anthraces, qui a Cl. Larrey, quum castra ducis Napoleontis Buonapartis in expeditione Aegyptiaca sequeretur, tamquam pestis symptomata descripti sunt, a modo citatis distinguebantur decursu celeriore, natura maligniore et contagione specifica (1).

Varia nomina a variis scriptoribus huic vitio tribui solet, uti Anthrax a Graeca voce *ἄνθραξ*, Anthracophlyctus, Abcessus gangraeno-

---

(1) Larrey, Mémoires de Chirurgie militaire et campagnes. Tom. I. pag. 316 et seqq.

sus, Carbo, Furunculus gangraenosus, Furunculus malignus, Pruna, Negenoog, Charbon, Brandbeule, Brandgeschwär, Brandige Eitergeschwür, Carfunkel.

§ 4.

De morbi nostri complicatione.

Descriptis symptomatibus et decursu anthracum, nobis supersunt varia quaedam symptomata, etiam quantum fieri possit, explicatu, quae nisi sectio cadaveris aliquid lucis praebuisset, haud facile intelligenda forent.

Nonnulla symptomata, durante vita visa, indicabant affectionem abdominalem, alia magis referebant indicia encephali affectionis. Gravis profecto est quaestio, utrum ambo, et affectio cerebri et abdominis, esset idiopathica, vel utrum una ex altera proveniret et sympathica esset? Priorem sententiam nostram agnoscimus. Si colligimus omnia, quae morbo durante et post mortem reperta sunt tres reperemus fontes, e quibus omnia mala profecta fuisse videntur, nempe 1° ex tuberculoin cerebro, 2° ex scirrho duodeni, 3° ex ipsius anthracis effectibus. De singulis videamus.

1°. D. 15 m. Novembris, symptomata acciderunt meningitidis, uti cephalalgia, carotides pulsantes, conjunctiva injecta, sitis cum febre continuo remittente, digestio erat laesa, urina parca, cruda, sanguinis detractio topica multum levaminis attulit; haec durante vita. Post mortem vero autopsia instituta, invenimus duram meningem cranio adhaerentem, arachnoideam incrassatam et tuberculum lobulum sinistrum posteriorem occupans, quae omnia satis probare videntur affectionem idiopathicam fuisse.

Quod si de causis hujus morbi complicationis cogitemus, causa praedisponens nobis videtur requirenda esse in tuberculo cerebri, nam probabilius est, hoc jam ante anthracis formationem exstitisse, neque e contrario ex hoc profluxisse, in cujus rei explicatione opinionem secutus sum Clar. Andral, monentis (1): « Les tubercules des centres nerveux se développent dans l'immense majorité des cas, independamment des causes extérieures irritantes. Ils se développent lentement, sourdement, sans aucune influence extérieure. On

(1) Pathologie interne, pag. 343.

ne peut attribuer leur production qu'à une perversion des fonctions de nutrition et de sécrétion.» Insuper propter ejus magnitudinem satis notabilem quoque non probabile est, tuberculum nostrum, quorum alioquin decursum tardum esse constat, tam celeriter increvisse, ut non ante anthracem exstiterit, sed ex irritatione, ab hocce capiti allata, provenerit.

Haec opinio de praeexistentia tuberculi confirmatur observatione; testantur enim fere omnes, qui de gravi hoc argumento disseruerunt, auctores, talia tubercula diu sine ullis effectibus nocivis posse existere, et tandem uno momento inopinatim absque ulla causa cognita validos edere effectus, uti insultus apoplecticos, convulsiones, ipsamque epilepsiam, qualia symptomata paulo ante mortem etiam in nostro casu observavimus. Memorabile omnino est, in pulmonibus nulla tuberculorum vestigia inventa fuisse, quum tamen Cl. Andral (1) monet, haec fere semper cerebri tubercula comitari, quamquam Doct. Paillard et Duffourc observationes conscripserunt de tu-

(1) L. c.

berculis cerebri non cum illis pulmonum coincidentibus. Tuberculum nostrum cystide inclusum solitarium erat, quum in reliquo corpore nulla alia inveniebantur, nisi ad renem sinistrum, et ita cerebro impositum erat, ut ipsam ejus substantiam intactam relinqueret. Quum observatum sit, plerumper plura tubercula in uno homine inveniri, sic certam assumunt diathesin tuberculosam ex perversa nutritione et secretione provenientem, qualem facile in corpore tam cachectico, quam nostrae patientis, existere potuit.

Tali vitio cerebro inhaerente, minime vagam hypothesin statuere videmur, si ponamus, tuberculum encephalon sensibilius et irritabilius reddidisse, quare aptius evasit ad morbum datâ occasione suscipiendum. Si ergo causa praedisponens in tuberculo consistit, occasionalis in ipso anthrace est quaerenda, neque mirum est, processum granulationis et ulcerationis, qui in cranio adfuit, sanguinem ad encephalon allicuisse et id ipsum irritavisse, eadem ratione, qua in capitis vulneribus, cranium non perforantibus, inflammatio oriri solet. Encephalitis in nostro casu memorato non horrendis illis symptomatibus, ut ceteroquin

fit, declarabatur; de causa, quare hoc ita locum habuerit, non diu est haesitandum, si modo attendamus ad conditionem debilem, vitae genere et suppuratione jam per aliquod tempus protracta exhaustam, subjecti affecti.

2°. Post symptomata in capite observata nominari merentur illa, quae in abdomine occurrerunt. Per totius fere morbi decursum ab initio ad finem usque semper cum alvo laxa, indicio sensilitatis in mucosa intestinali praeter normam auctae, et status irritati hujus membranae, luctati sumus, quae omnia d. 17 m. Januarii tam vehementia evaserunt, ut vera oriretur Enteritis minore cum intentione, quam in individuis robustis, sanguineis, juvenilibus insurgens, sed characterem magis erethicum assumens. In constituenda hacce conditione morbosa non parum ansam praebuisse videtur scirrhus, qui, uti jam antea monuimus, intestinum duodenum occupabat et tempore mortis totum intestinum perforabat. De illis scirrhis, duodeno inhaerentibus monet Cl. Andral (1), carcinoma duodeni valde rarum

(1) l. c. pag. 44.

esse et symptomatibus valde incertis indicari. Scirrhus hicce, jam dudum hunc locum occupans, paucis sese manifestavit indiciis, notissima enim res est, haecce vitia, quamdiu non irritantur, in eodem statu diu posse versari, sine molestiis valde nocivis inde ortis, veruntamen non negandum, ea agere in organon, quod occupant, uti corpus heterogeneum, illudque sic sensibilius reddere et perficere, ut aptius evadat ad morbum, accedente quadam causa occasionali, suscipiendum. Sic in nostro casu intestina sensibiliora constituit erga vitia, in diaeta commissa, unde non alienum videtur, diarrhoeam explicare. Saepius reversis hisce erroribus in diaeta, ipse scirrhus facile una cum mucosa intestinali inflammatione affici potuit, unde tunc provenerunt enteritidis symptomata. Eodem hoc tempore scirrhus, qui ad hunc usque diem lente et clandestine proserpserat, causis modo dictis irritatus, in carcinoma occultum mutari potuit, quod, in dies semper increscens, tali ratione in pejus ruit, ut brevi ante mortem in carcinoma apertum transiisset et totum perforavisset duodenum.

3°. Affectiones tantae gravitatis quantam enu-

meravimus: anthraces, encephalitis et enteritis, magnos praebuisse effectus in toto organismo haud mirum est. Sic nostra aegra fere semper, si excipias febrem continuam, quae una cum encephalitide accesserat, febre hectica affecta erat. Ab eo enim tempore, quo in nosocomio recipiebatur, febricula correpta erat, cujus exacerbationes vespertinae diebus 6, 7 m. Octobris increscebant et hecticum characterem sibi comparabant. Febres, quae anthraces comitantur, uti supra diximus, naturae asthenicae esse solent, quodsi initio non sint, tamen ulteriore tempore evadunt. In nostro casu vero de debilitate nostrae patientis, quae tot causis deprimentibus, exhaurientibus exposita fuit, haud est quod dubitemus. Processus granulationis et suppurationis in capite per longum tempus pergens, accedente insuper resorptione ante anthracis operationem, haec omnia ansam praebuerunt febri hecticae constituendae. Ita quoque diarrhoea, per totum fere morbi decursum persistens, et enteritis et encephalitis ultimis vitae flammulis exstinguendis haud parum attulisse videntur.

§ 5.

De Prognosi.

Universe affirmant Clarr. Rust (1) et von Walther (2), anthraces inter morbos periculosiores esse enumerandos, primo quia semper locum affectum gangraena afficiendo destruant, et secundo, quia saepius haereant in affectione constitutionali. Veruntamen prognosis, pro constitutione, aetate, causis, sede et mali extensione, pro febre comitante et tandem pro dignitate partium denudatarum magnopere differt.

In nostro ergo casu non dubitandum, quin valde esset infausta prognosis, patiens enim constitutionis debilioris erat, inter causas quae malum attulerant unam valde intensam, cachexiam nempe prorsus malignam, scirrho intestini allatam, enumeravimus, quae causa, uti sponte patet, nulla ratione tolli potuit. Quod ad sedem, anthrace occupatam, attinet, infaustissimam certe selegit, vitium enim caput occupans et ibi destructiones

---

(1) Handwörterbuch der gesammten Chir. und Augenheilkunde. l. c.

(2) Handbuch der Chirurgie. l. c.

afferens, encephalon jam morbose praedispositum simul affecit, quumque praeterea aegra cachectica, debilis, suppuratione et granulatione diu protractis magis magisque exhauriretur, simul accedentibus diarrhoeis et affectionibus abdominalibus valde esset debilitata, tandem febre hectica corripiebatur, quae ad ultimas vires consumendas inprimis valebat. Praeterea in ipso cerebro aderat vitium pejoris ominis, quod, etiam nullis accedentibus anthracibus, tamen temporis decursu certe mortem attulisset. Quam in nostro quoque casu infausta erat prognosis, inde intelligitur, si animadvertamus, hic tria adfuisse mala, quae singula mortem adferre valerent, uti scirrhus duodeni, anthrax in capite destructiones satis magnas adferens, et tandem tuberculum ipsi cerebro inhaerens.

§ 6.

De curationis ratione.

Curatio duplici rationi erat accommodanda, cum affectionibus topicis, tum affectioni universali. Prima indicatio topica versabatur in eo, ut

puri exitus liber daretur, quod operatione anthracis gangraenosi in capite perfectum est. Quum fere semper conditio talium ulcerum, post ablatam crustam remanentium, valde laxa et atonica sit, commendant auctores hac de re, ut ulceri topica irritantia antiseptica apponantur ad gangraenam limitandam, avertendam et ad bonam suppurationem promovendam. Applicare in tali casu solent, myrrham, caphuram, oleum terebinthinae, acidum pyrolignosum et tandem ipsum ferrum candescens. Talia vero hic minus convenientia cl. Praeceptori visa propter nobile organon, loco affecto proxime adsitum. Potius adhibitae sunt deligationes summa cum munditie institutae, dum ulcus linteo carpto, unguento simplice illinito tegebatur; deinceps vero quum margines satis laxae nullam granulationem et sanationem promittebant, ad hanc juvandam illinitae sunt unguento picis, viribus antisepticis et tonicis gaudente. Duo alii anthraces justo tempore cataplasmatibus leniter stimulantibus tecti, ad maturationem pervenerunt et, remota eschara, unguento Picis tegebantur, unde in hisce bonam acquisivimus suppurationem.

Quod ad curationem generalem attinet: natura morbi, habitus externus aegrae, febricula, animi depressio, verbo, omnia statum asthenicum exhaustum indicabant. Hic igitur de indicatione instituenda non multum erat dubitandum, sed indicationi vitali hic maxime obediendum videbatur. Ex hocce proposito praescribebatur decoctum corticis Peruviani fusci, quod corroborando et sepsin avertendo agit, cui additus est spiritus aromaticus, egregium analepticum, ut simul systema nerveum grata ratione stimularetur.

Praeterea ei concedebatur diaeta nutriens, roborans et vini rubri haustum modicum Accedebat die 3, 4, 5 mense Oct. symptoma, cujus effectus in statu debili nostrae patientis valde timendi erant, qua propter, ne nimis quidem diarrhoea suborta exhauriretur, indicationi vitali symptomatica juncta fuit, idcirco pulvis gummi arabici et syrupus papaveris albi decocto additi sunt, ad diarrhoeam sistendam et ad sensibilitatem tractus intestinalis sedandam. Hocce remedium talem habuit effectum, ut 12 m. Oct. ab ejus usu recedi posset, et quum d. 13 et 14 m. Octobris alvus non fuerit soluta, propter metum compli-

cationis gastricae exhibitum fuit rheum, quia clysma apponi aegra non ferre declarabat. Deinde in iisdem indicationibus permansimus vitalibus et symptomaticis simul. Ad suppurationem non bene procedentem meliorandam, praescriptus est usus Phellandrii aquatici, quod hac in re egregiis gaudet qualitatibus.

Accedentibus 15 m. Nov. symptomatibus encephalitidis, quae periculum vitae summum adferre valebat, indicatio quam maxime urgens haerere videbatur in indicatione curatoria hujus gravis morbi complicationis, indicatio quam antea vero insecuti eramus nunc valde periculosa evadebat, propter affectionem encephali, a tonicis et stimulantibus facile augendam. Ad hanc ergo complicationem tollendam adhibita sunt remedia antiphlogistica leniora, revellentia in m. mucosam intestinalem et in pedes, una cum sanguinis evacuationibus localibus, dum conditio universalis venae sectionem non permittebat.

Hacce methodo agendi sublata complicatione gravi, debilitas et virium exhaustio aegrae methodum roborantem rursus postulabant, quare ad priorem indicationem vitalem corroborantem et

symptomaticam diarrhoeam sistentem rediti sumus, attamen veriti ne rediret affectio cerebri, remediis roborantibus et stimulantibus caute processimus.

Diarrhoeam auctam, remediis obvolventibus et adstringentibus sistere conati sumus, sed quia tractus intestinalis, propter summam sensibilitatem et irritabilitatem, haec ferre non valebat, nihil adhibitum fuit, nisi decoctum album Sydenhami et solutio saleb. Enteritis deinde suborta topicis evacuantibus et emulsione amygdalina mitigata est. Sic etiam in apoplexia deinceps orta, unice hirudines capiti oppositi sunt et revellentia cruribus, quippe de remediis validioribus ne quidem cogitari potuerit.

T A N T U M.

EXPLICATIO TABULAE.

Fig. 1. Refert ulcerationem caput occupantem statim post mortem ad naturam delineatam.

a. Sutura sagittalis, cum lamella ossis fere soluta.


b. Pars cranii necrosi nigri coloris affecta.

c. Carunculae carneae excrescentes.

Fig. 2. Partem refert cerebri lobi sinistri posterioris.

a. Tuberculum cerebro inhaerens.

Fig. 2.





S.W. v.d.Weyer ad nat. in lapide del.

lith. Gebr. v.d.Weyer, Utrecht

THESES.

I.

Minus recte Velpeau statuit; deciduam membranam esse anorganicam.

II.

Evanescentia floccorum exochorii, incipiente formatione placentae, non videtur provenire a distensione ovi per liquorem amnii.

III.

Secreta minime in sanguine praeexistunt, verum vis vitalis actione ex eo producuntur.

IV.

Durante somno functiones vitae vegetativae intensius peraguntur.

V.

Egregie P. J. FRANCK de opio; «non paucos ex Orci faucibus eripuit.»

VI.

Hirudinum applicatio pectori in lento decursu phtiseos egregios edit effectus.

VII.

Schönlein de Typho jure dicit: «je mehr mittel gegen eine Krankheit, desto unsicherer ihre Behandlung, und auch die Erfahrung hat diesen Grundsatz bestätigt, denn mit den Mittel hat sich die mortalität heim Typhus vermehrt.»

VIII.

Egregie Stollius: «Fortunate medebitur, qui remedia exhibendi occasiones sagax captat, quive repertae indicationi potius, quam specificae cuidam remediorum virtuti confidit.»

IX.

Bene docet richter: «Es giebt kein einziges pathognomonisches Fiebersymptom, und nur der Verein mehrerer Erscheinungen, verbunden mit einer gehörigen Würdigung der Gelegenheits-ursache kann die Diagnose sicheren.»

X.

Hydrothoracis symptomata periculosiora immerito vulgo tribuuntur sero in cavitate pectoris effuso.

XI.

Usus setacei in spina ventosa minus indicari videtur.

XII.

Recte von WALTHER: « Auch besteht nicht überall die Anzeige die Entzündung als solche, wo sie vorhanden ist, durch die wirksamsten Kunstmittel sogleich im ersten Angriff auszulöschen; — es ist zuweilen nützlich, ja nöthig, sie durch ihre Stadien hindurch zu führen, sie zur Erreichung gewisser Heilzwecke eine Zeitlang fort zu stehen lassen, die torpiden an zu spornen, oder sogar sie, wo sie ganz fehlt, zu erwecken. »

XIII.

Tetanus post membri cujusdam vulnerationem, non indicat ejus amputationem.

XIV.

Amputatio artuum fungo medullari affectorum tantum est curatio symptomatica.

VX.

Etiamsi gangraena nondum limitata membrum corripuerit, amputatione saepe tollendum esse existimo.

XVI.

Eleganter von WALTHER de transitu inflammationis in gangraenam: « vor ihrem Erlöschen lodert die Lebensflamme noch einmal mächtig empor. »

XVII.

In placenta praevia completa, perforatio centralis subinde instituenda.

XVIII.

Versionem in caput, si institui possit, semper prae versione in pedes tentandam esse, credo.

XIX.

Causa foetus expulsionis in utero materno videtur posita.

Daar snelt in onweerstaanbaar woeden,
Met reuzenschreen en woeste vaart,
De stormwind die haar offers gaart,
En stuwt omhoog de trotsche vloeden;
Daar 't water schuimend henenspat;
En 't licht verdoofd in 't spieglend nat,
Dat anders met de zilv'ren baren
Al hupp'lend bij het licht der maan
Des wand'laars oog verrukt deed staan,
En zijnen geest op 't schoon deed staren.

Zoo snelt zij, als de vlugge tijd,
Die bloemen wegstrooit wijd en zijd;
Den boom beroofd van zijnen luister,
Haar bladren meêsleurt door de lucht,
En voor geen ondergang beducht:
Ze neerploft in het eeuwig duister.

Maar hoe ze ook langs de aarde huilt,
't Gedierte dat in krochten schuilt,
Beangstigd voor zich heen doet vlieden.
De rotsen meêsleept in haar vaart,
En kloven scheurt, geen sterv'ling spaart,
Die aan haar magt dorst weêrstand bieden.

Wij heffen trotsch met mannenmoed,
En spottend met haar fellen gloed;
Het oog vertrouwende naar boven.

Omdat wij weten dat zijn woên,
Voor hooger magt moet onderdoen;
Die haren trots weer kan verdoven.

Gelijk die stormwind langs de velden,
In woeste drift daarhenen jaagt,
En de aard de ketens die haar knelden,
Verbreekt, en nieuwe offers vraagt.
Zoo rukt bij 't wisselen der jaren,
De tijd zijne offers met zich voort,
En 't oog blijft vol van droefheid staren:
Op 't geen de ziel eens heeft bekoord.
Wij vragen op het eind dier jaren,
Zoo zorgeloos voorbij gevloôn.
Waarheen die vreugde is gevaren,
Die zorgelooze jeugd met al haar blinkend schoon?
Mijn vriend! gij zult den tijd herdenken,
Toen wetenschap en gulle vreugd,

Het zoet van 't leven ons wou schenken:
En wees op reine en ware deugd.
Wij scheiden, maar die blijde dagen,
Te Utrecht eenmaal doorgebragt,
Die zullen steeds de teek'nen dragen
Van broedertrouw en vriendschaps magt.
Vaarwel! een wereld ligt ons open,
De tijd rukt hier den band van een,
Maar 't hart zal steeds nog blijven hopen
Dat vriendschap immer ons vereen!

H. J. BROERS.

Med. Doct.